Compositae

TENTAMEN MEDICO-BOTANICUM
DE
PLANTIS CICHORACEIS

QUOD
PRO GRADU DOCTORIS
RITE IMPETRANDO
ILLUSTRIS
SCHOLÆ MEDICÆ ARGENTORATENSIS
EXAMINI SUBMITTIT
ET
DIE SEPTEMBRIS, HORA POMERIDIANA TERTIA
PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS CAROLUS GOCHNAT
ARGENTINENSIS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

ARGENTORATI,
TYPIS J. H. HEITZ, ACADEMIAE TYPOGRAPHI.
1808.

Ex Legato C. H. PERSOON.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

SCHOLÆ MEDICÆ ARGENTORATENSIS

PROFESSORIBUS CELEBERRIMIS

TH. LAUTH

ET

D. VILLARS

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROFESSORES

DD. TINCHANT Dissertationis Praeses.

MEUNIER VILLARS BÉROT CAILLIOT COZE	Examinatores.

FLAMANT
GERBOIN
LAUTH
MASUYER
ROCHARD
TOURDES

Alma medicinae Schola Argentoratensis statuit, doctrinam atque sententias in dissertationibus editas, non sibi, sed autoribus tribuendas.

TENTAMEN

DE

PLANTIS SEMIFLOSCULOSIS TOURNEFORTII.

Cum a teneris jam annis in deliciis botanicis otia mea lubenter collocaverim, almae Scholae specimen offerre, ex scientia plantarum amabili desumptum, decrevi; et quidem e classe compositarum stirpium, naturalissima et numerosissima, familiam ab immortali Tournefortio, semiflosculosarum salutatam selegi.

Plantae compositae, characteribus conveniunt sequentibus: 1) plures et parvulos flores, thalamo vel receptaculo communi insidentes, involucro vel calyce communi comprehensos, gerunt. 2) Calyce proprio cuique ovario adhaerente, vix separabili, saepe ovarium excedente setarum, palearum, dentium forma, gaudent. 3) Corolla instructae sunt monopetala, tubulosa vel ligulata quinquefida summo ovario inserta, vel epigyna. 4) Staminibus quinque, filamentis distinctis ex corolla nascentibus, antheris in tubulum coalitis. 5) Ovario simplici, stylo unico, stigmatibus saepius binis revolutis. 6) Capsula, (Akæna Richard) monosperma, non dehiscente, semen nudum mentiente, saepius calycis excedentis rudimentis coronata, perispermo nullo, corculo recto, radicula infera.

Ex hisce characteribus praesertim primus et quartus notandi sunt, cum mediantibus illis familia compositarum naturalis evadat, ut paulo infra videbimus.

Auctores praecipui de hac sectione sunt: TOURNEFORT, nam a botanicorum principe et vero hujus scientiae fundatore incipiendum est; PONTEDERA, VAILLANT, (de his duobus autoribus Monographias de compositis possidemus), LINNEUS, ADANSON, JUSSIEU, GAERTNER, MOENCH &c.

Apud TOURNEFORT *a*) compositae classem duodecimam, decimam tertiam et decimam quartam constituunt, nomine flosculosarum, semiflosculosarum et radiatarum. Illustris vir, cum a florum figura systema suum desumserit, facile vidit, flosculos compositarum, duas praecipue formas offerre, ligulatam nempe et tubulatam, nunc singulas in singulis floribus, nunc ambas in eodem, et sic methodo admodum simplici tres suas compositarum classes stabilivit.

PONTEDERA, *b*) tres classes TOURNEFORTII retinuit, mutatis tamen aliquot nominibus. Compositas nimirum aliorum autorum conglobatas vocat; nomini semiflosculosarum substituit nomen lingulatarum; semiflosculus ei is est, qui staminibus caret, ergo secundum ejus definitionem, plantarum radiatarum radius semiflosculis constat.

VAILLANT *c*) florum dispositionem praecipue respiciens, quatuor classes stabilivit, Cynarocephalarum scilicet, corymbiferarum, Cichoracearum et Dipsacearum; quarta vero ejus classis ad compositas minime revocanda est, nec naturalis.

A botanicis nimirum nunc memoratis partes essentiales florum, ad fœcundationem destinatae non satis recognitae fuere, cum plantas an-

---

a) Institutiones rei herbariae. Paris 1700.

b) Dissertatio quinta de floris natura. Patavii 1720.

c) Mémoires de l'Académie des sciences de l'année 1721.

theris instructas liberis vel divisis, naturali sectioni compositarum adnumeraverint; nam character hic, a LINNEO syngenesiae suae, (classi decimae nonae) adscriptus, maximi momenti est et mediante illo, a compositis revocantur Globularia, Dipsacus &c., genera aliis characteribus quoque diversa; ex altera parte vero, nec solae antherae coalitae hic respici debent, sed etiam flos compositus ex pluribus flosculis, sic expunguntur Viola, Impatiens et alia genera quae a LINNEO suae Syngenesiae adscripta sunt. Ut ad VAILLANTII tres priores classes redeam, cum a clariss: JUSSIEU servatae fuerint, paucis tantum verbis eas illustrabo. Prima, sat naturalis, plantas continet Carduo similes vel Cynarocephalas, altera corymbiferas, haec classis non solum radiatas TOURNEFORTII, sed etiam magnam partem flosculosarum ejusdem, quae non ad Cynarocephalas pertinent, includit; tertia classis Cichoraceas vel ligulatas comprehendit. Cynarocephalae a corymbiferis praecipue nunc a recentioribus receptaculo carnoso stigmateque summo stylo articulato distinguuntur. Sed classis corymbiferarum duabus aliis longe numerosior est et forte in plures dividi deberet, ut ADANSONIUS jam fecit.

LINNEANAM *d*) coordinationem compositarum aeque succincte, tamen satis lucide explicare nunc conabor. Jam supra memoravi, LINNEUM, systemate suo coactum, cum classi suae decimae nonae Antheras coalitas adscripsisset, etiam genera aliqua a compositis ceterum toto coelo diversa illis associavisse, uti Violam, Jasionem, Lobeliam, Balsaminam, ob solas antheras conjunctas; haecce nimirum genera ad calcem Syngenesiae revocavit, titulo monogamiae, cum genuinos ordines compositarum de quibus mox agendum, communi titulo Polygamiae insignivit; ingeniose receptaculum domui, flosculos vero singulos eodem insidentes totidem nuptiis comparans. Synge-

---

d) LINNÉ Systema Vegetabilium.

nesia Monogamia a recentioribus LINNEI sectatoribus haud immerito deleta est; cum praeterquam quod invita natura stabilita fuerit, etiam simili jure multae aliae plantae huc revocari debuissent ut Boragines, Solana etc. a LINNEO tamen aliter locatae.

Nunc LINNEI ingeniosam compositarum dispositionem paucis perlustrabo. Plantae flore composito, flosculis omnibus completis, id est pistillis fructiferis staminibusque instructis primum ordinem constituunt. Continet ergo haec sectio nostras ligulatas, dein Cynarocephalas JUSSIEUI, nec non illas ex Corymbiferis ejusdem quae radio non gaudent, sub titulo Polygamiae aequalis. Reliquas omnes nomine Polygamiae spuriae comprehendit LINNEUS, ingeniose flosculorum ambientium pistilla uxoribus illegitimis vel concubinis, pistilla vero disci legitimis uxoribus comparans. Saepe nimirum in compositis rationem diversam inter flosculos ambientes et discoideos, quoad sterilitatem vel foecunditatem observamus.

Primi ordinis flosculi in eodem flore ut vidimus vel omnes ligulati vel omnes tubulosi sunt, nunquam vero radiati, omnes dein fertiles, pistillis staminibusque instructi. Iu polygamia spuria vero flosculi radii staminibus semper carent.

In secundo ordine, vel Polygamiae spuriae primo, radii flosculi, staminibus licet privati, pistillis tamen bene constitutis praediti, pollineque interiorum flosculorum impraegnati, aeque ac flosculi discoidei completi, bona semina ferunt.

In tertio ordinê, nonnisi disci flosculi sobolem propagant, radii vero flosculi ob pistilla stigmatibus destituta, steriles sunt.

In quarto, flores disci pistillis stigmatibusque carent, radii vero flosculi, pistillis instructi sunt fertilibus, et discoideorum polline foecundati, soli bona semina ferunt. Secundum ordinem, polygamiam superfluam vocat LINNEUS, tertium, Pol. frustraneam, quartum Pol. necessariam, dicens, in secundo ordine concubinas superfluas, in tertio frustraneas, in quarto necessarias esse. Hisce ordinibus LINNEUS

in posterioribus operum suorum editionibus, ordinem quintum addidit, segregatarum nempe, in quibus praeter calycem communem, flosculi adhuc partialibus calycibus comprehenduntur, denique ratio organorum sexus aeque in illis ac in praecedentibus variat. Sic quinque ordines LINNEANOS habemus, Polygamiam aequalem, Pol. superfluam, P. frustaneam, P. necessariam, P. segregatam. Sextus ordo, Pol. monogamia, ut jam monui, deleri debet.

ADANSON *e*) in opere suo nunquam satis laudando et in usum trahendo, TOURNEFORTIANAM quidem dispositionem generalem retinuit, tamen ex ejusdem classibus adhuc decem sectiones formavit. Prima sectio semiflosculosas vel Lactucas ADANSONII continet; flosculosae TOURNEFORTII, secundam, tertiam, quartam, quintam sextam et septimam sectionem constituunt, secunda Echinopes vel flosculosas segregatas continet, tertia Carduos calyce spinoso insignes, quarta, Xeranthema calyce inermi a Carduis diversa, quinta ambrosiam tantum et Xanthium, sexta Tanaceta, a Carduis et Xeranthemis receptaculo nudo recedentes, septima Conyzas, pappo elongato dentato a Tanacetis diversas complectitur. Radiatae ultimas tres sectiones constituunt; octava nimirum Jacobeas, seminibus papposis, nona Calthas seminibus nudis, decima Bidentes foliis oppositis continet.

GÆRTNER *f*) et MOENCH *g*) quoad generalem compositarum dispositionem, cum TOURNEFORTIO figuram corollae respexere.

Ad ligulatas nunc speciatim me convertam. Apud TOURNEFORTIUM ut paucis repetam, decimam tertiam classem constituunt, semiflosculosarum, apud RAJUM *h*) Planipetalae, apud VAILLANT cichoraceae, apud

---

e) Familles des plantes. Paris 1763.

f) De fructibus et seminibus plantarum. Stuttgardiae 1788.

g) Methodus plantarum a staminum situ. Marburgi 1794, et ejusdem Supplementum. Marburgi 1802.

h) Methodus plantarum emendata et aucta.

PONTEDERAM lingulatae audiunt, apud LINNEUM ad primum ordinem syngenesiae vel classis decimae nonae pertinent. Apud JUSSIEU constituunt primum ordinem decimae classis, quae plantas comprehendit Dicotyledones monopetalas, corollis epigynis, antheris connatis.

In serie naturali plantarum locum ligulatae obtinent suum inter Campanulas et Carduos. Quamvis habitu a prioribus recedunt, tamen multa cum illis communia habent, sic ambae lactescunt, ambae calyces habent inferos, folia alterna etc., sic Jasione, Phyteuma, flores offerunt aggregatos, compositis quodammodo affines, sic antherae coalitae sunt in Lobelia, Jasione etc., sic corollae fere ligulatae apud Goodeniam: differunt tamen Campanulae corolla perigyna et praesertim fructu capsulari polyspermo. Multum quoque Carduis affines sunt ligulatae nostrae, et Scolymus transitum facit; differunt tamen Cardui, foliis calycibusque saepius spinosis, receptaculo carnoso, flosculis tubulosis etc.

Notandum est fere omnes ligulatas Europae incolas esse, montium praesertim et Alpium decus, paucas tamen species America borealis alit.

Quibus notis ligulatae inter se conveniant vel differant, fusius nunc referendum.

Omnes plus minusve lactescunt.

Radix, ramosa, fibrosa, quandoque stolonifera, in quibusdam crassa, dulcis, esculenta, carnosa apud Leontod. bulbosum et L. tuberosum LINNEI. Denique annua, biennis, perennis, lignosa.

Caulis, nullus vel scapiformis in Taraxaco et in Lapsana foetida; foliosus, ramosus, rarius lignosus, plerumque teres, cavus.

Rami. Spinescunt apud Cichorium spinosum.

Folia. Semper alterna nisi radicalia; integra, saepe dentata, spinatifida; ante explicationem involuta.

Pili. Simplices; furcati apud Leont. hispidum LINNEI, articulati in Soncho etc.

Flores flavi; rarius cœrulei ut in Cichorio, Sonchis alpinis et americanis; rarius quoque color flavus ad rubrum transit ut in Hieraciis et Crepidibus quibusdam. Color cœruleus in pallide rubrum transit apud Cichorium. — Notabiles porro sunt in plantis ligulatis proprietas meteorica et vigiliae. Determinatis nempe horis diei, quarundam plantarum flores explicantur et clauduntur, hoc praecipue in ligulatis observatur et LINNEUS in sua Philosophia botanica *i*) flores hac proprietate praeditos solares vocavit, et triplicem differentiam hujus expansionis stabilivit.

1. Meteorici flores minus accurate observant horam explicationis, et prius seriusve aperiuntur pro ratione umbrae, aëris humidi vel sicci, atmospherae pressione majori vel minori; sic Sonchus sibiricus, si noctu clauditur, proxima dies plerumque serena erit; si vero aperto flore per noctem vigilat, insequens dies plerumque erit pluviosa. Si flores Leontod. Taraxaci, hora matutina, clausi remanent, coelo ceteroquin nebuloso, eo die pluet, indicium est.

2. Tropici flores mane aperiuntur et ante vesperam recluduntur quotidie, sed hora expansionis ascendit vel descendit ut dies accrescit vel decrescit.

3. Aequinoctiales flores aperiuntur certa et positiva diei hora et plerumque determinata hora quotidie recluduntur. Hisce forte adnumerari possent flores ephemeri de quibus loquitur DECANDOLLE *k*); de floribus vero tropicis silet clarus hic autor.

Flores aquinoctiales LINNEO ideam de conficiendo horologio Florae suppeditavere; proposuit plantas solares ita serere, ut earum series tempori explicationis respondeat. Maxima ex parte horologium botanicum ex ligulatis consistit, sic hora circiter quinta matutina, Ta-

---

i) LINNEI philosophia botanica ed. WILLDENOW. Berol. 1790.

k) Flore française. V. I. p. 211.

raxacum, Tragopogon, Lapsana, Helmintia etc. flores expandunt, hora sexta matutina, Hieracium, Hypochaeris, hora septima, Lactuca, Sonchus, hora octava Pilosella etc. florent.

Ad partes fructificationem spectantes nunc accedamus; essentiales vocantur et solummodo ex illis earumque differentiis genera genuina formare valemus.

Calyx communis (vel anthodium) semper polyphyllus, tamen oligophyllus in Prenanthide. Tunc forma valde variat, aequalis est calyculatus vel auctus, imbricatus, conicus vel cylindricus, globosus, torosus, erectus, patens, demum reflexus, haud raro persistit seminaque marginalia involvit singulis foliolis; pungens in Scolymo, scariosus nitidus in Catanance, involucratus in Helmintia, Crepide; basi squamis quodammodo circumvallatus in Tolpide. Squamae calycis lineares sunt vel latiores, quandoque margine scariosae.

Receptaculum nudum vel pilis paleisque obsitum, vix apparens in Rhagadiolo; glabrum punctatum in Taraxaco, magis scrobiculatum apud Hieracia, alveolatum, favosum, alveolis margine ciliatis in Crepide fœtida, paleaceum in Hypochaeride, villosum in Andryalis, villosum et in ambitu paleaceum apud Rothiam.

Notandum est, nonnisi longiores setas receptaculi bonum genericum characterem praebere, breviores vero negligendas esse.

Flosculi numerosi, numero tamen determinato in Prenanthide.

Calyx proprius, vide fructum.

Corolla monopetala ovario inserta, ex tubo brevi ligulata, ad extremitatem plerumque inciso-dentata, rarius integra, rarissime flosculi monstrose tubulati *m*) sunt ut in hieracio tubuloso Lamark; (*Flore française N.* 231.)

Stamina

m) Vaillant act. Paris. 1721. Tab. 7 aa ij. iij.

Stamina quinque; filamenta brevia, libera, corollulae collo inserta, antherae filamentis longiores, lineares vel potius parallelepipedae, ad apicem dente triquetro instructae, ad basin fissae, dorso fissurae filamentis infixae, biloculares, lateribus coalitae in cylindrum tubulatum stylum recipientem; pollen globosum laeviusculum.

Pistillum; ovarium unicum, sustinens stylum unicum filiformem, antheris longiorem, stigmatibus terminatum duobus reflexis ad lentem hispidis.

Nectarium consistit in glandula nectarifera germini insidente; hîc nectar a cylindro antherarum tubum floris occupante perfecte ab imbre tuetur, et in fundo floris accumulatur; jam vero stigmata cum cylindrum antherarum longitudine superant, et sic in floribus erectis per mechanismum simplicem fœcundatio effici non potest, insecta necessaria sunt. Thrips, apes, Papiliones, multa ex Eleuteralis, flores ligulatarum iterum et iterum frequentant, fœcundationemque curant. Insecta anthophila saepe in ipsis tubulis flosculorum inclusa pollineque obsita, observari possunt.

Fructus: semen nudum calyce proprio adhaerente; a recentioribus tamen fructus capsularis non dehiscens vocatur (a RICHARDO, AKENA). Embryo erectus ex duobus cotyledonibus constans semi-cylindricis, sibi obversis, immediate tectus est membrana tenui, et tunc demum calyce proprio aegre separabili. Radicula infera, perispermum vel albumen nullum.

Calyx proprius in plurimis generibus semen superat, nomine pappi; sed quasi pressionis causa, quam flosculi anthodio communi comprehensi patiuntur, abortiens, nonnisi pilorum vel tenuium squamularum forma occurrit; tamen maximi momenti est in constituendis generibus.

Pappus pilosus est vel plumosus, setaceus denticulatus, stipitatus vel sessilis; paleaceus, marginem efformans in Arnoseride etc. Notandum est pappum subinde in fructu adhuc immaturo jam stipitatum

apparere ut in Helmintia, nonnunquam vero haud ante perfectam fructus maturationem observari posse, ut in Lactuca; denique pappus capillaris ad lentem plus minusve remote dentatus apparet, graminum rhachidi haud absimilis, itaque pappus plus minusve dentatus in generibus constituendis praetermittendus; et pappo piloso annumerandus est.

Usus et qualitates in genere.

Plantae semiflosculosae, succo scatent lacteo, amaro, rarius adstringente vel narcotico; quae astringunt parum lactescunt, et olim inter vulnerarias plantas receptae fuerunt. Qualitas narcotica praesertim occurrit apud Lactucas sylvestres foliis maculosis, et nostra Lactuca sativa, hucusque nondum sylvestris reperta, cultura forte primitivam suam qualitatem narcoticam amisit. Uti per culturam qualitates noxiae vel saltem intensiores cicurantur et mitigantur, ita etiam juniores plantae, antequam succi earundem proprii formati sunt, multoque adhuc muco diluti, alimentum sistunt innocuum et gratum.

Immaturam hancce aetatem prolongamus artificiali chlorosi (Etiolement gallice). Hunc scilicet morbum producunt in plantis defectus luminis et transpiratio impedita; sic itaque Lactucam ligamus, Cichorium in cellis subterraneis servamus. Partes plantarum ligulatarum naturaliter chloroticae, id est lumine aëreque atmosphaerico privatae, radices v. c. dulciores sunt et gratiores, ut in Scorzonera, Tragopogone. An eidem privationi qualitas seminum ligulatarum frigida, anodina tribuenda? *n*)

---

n) Decandolle, Essai sur les propriétés medicales des plantes comparées avec leurs formes extérieures et leur classification naturelle. Paris 1804. p. 93.

Cichoraceae itaque edules, alimentum praebent gratum et ob levem amaritudinem leniter coctionem adjuvant. Quae a medico propinantur, in genere principium amarum, plus minusve muco dilutum continent, et ut leniter stomachica et alvum cientia remedia adhibentur, bilem supplent et ab omni tempore ictericis praecipue salutares creditae sunt.

Denique fere omnes species pecoribus, suibus, ovibus sanum gratumque pabulum.

Usum medicum et oeconomicum singularum specierum ad singula genera indicabo, ad quorum dispositionem methodicam nunc transeam. Quoad species vero, numerosiores sunt, quam ut de singulis verba faciam.

A. *Pappo plumoso, conformi.*

I. *Tragopogon* TOURNEFORT. LINNÉ Gall. *Salsifix.*

Calyx communis simplex, subdecaphyllus, aequalis; receptaculum nudum; semina praelonga; pappus stipitatus plumosus, stipite tenui.

Etymol. Barba hirci, graece.

Usus. Culinaris radix, dulcis, grata.

Colitur Tragopogon porrifolium, et Tragopogonis pratensis radices turionesque esculentae sunt.

Pharm. Barbae hirci radix, exoleta.

II. *Urospermum* SCOPOLI. JUSSIEU. *Arnopogon* WILLDENOW. *Tragopogonoides* VAILLANT.

Calyx communis monophyllus octipartitus, aequalis; receptaculum nudum; pappus stipitatus plumosus; stipite cavo, conico, incurvo, basi incrassato.

Etymol. Urospermum id est semen canaliculatum.

Arnopogon id est Barba agnina.

III. *Scorzonera* Tournefort. Linnei. Gall. *Scorsonère.*

Calyx communis imbricatus, squamis margine membranaceis. Receptaculum nudum; pappus plumosus sessilis; semina sessilia.

Etymol. Italica vox a cortice radicis nigro.

Usus. Radix culinaris, dulcis, grata, colitur Scorzonera hispanica; juxta Hallerum radix solito modo praeparata decoctionem praebet Coffeae similem.

Pharm. Scorzonerae radix a Scorzonera humili desumenda juxta Linneum, licet in plurimis officinis Scorz. hispanicae Radix exstat; praeter Radicem officinalia fuere, aqua distillata, semina, conditum, nunc omnia exoleta.

IV. *Podospermum* Decandolle. *Scorzoneroïdes* Vaillant.

Calyx communis imbricatus, squamis margine membranaceis; semina pedicello cavo incrassato suffulta; receptaculum subnudum; pappus sessilis plumosus.

Etymol. Vox graeca, a semine pedicellato.

V. *Achyrophorus* Gærtner. Moench.

Calyx communis imbricatus; receptaculum paleaceum, pappus stipitatus plumosus.

Etym. paleas gerens, graece.

Usus. folia succulenta esculenta a rusticis Smolandiae comeduntur; inter plantas alpinas pecoribus gratissima.

Pharm. Radix olim in officinis recepta nomine Herbae Costae, Linneo est Hypochaeris maculata.

VI. *Pieris* Linnei.

Calyx communis calyculatus; receptaculum nudum, semina transverse et longitudinaliter striata; pappus plumosus sessilis.

Etym. amarus, graece.

VII. *Helmintia* Jussieu.

Calyx communis aequalis foliolis quinque auctus; semina transversim sulcata; pappus stipitatus plumosus.

Etym. Vermicularia, graece, a seminum forma.

Usus. Usurpari potest pro olere in cibo H. echioïdes.

VIII. *Apargia* Scopoli. Schreber. *Virea* Adanson. Gærtner. *Leontodon* Linnei. Jussieu. *Hedypnoïs* Hudson, Smith. *Taraxaconoïdes* Vaillant.

Calyx communis subimbricatus, receptaculum subnudum, pappus plumosus, sessilis, centralis substipitatus.

Etymol. Ignota.

Obs. I. Praesertim habitu Taraxaci a Scorzoneris discrepant Apargiae, et Leontodon autumnale Linnei, Moenchio proprium genus, (Scorzoneroïdes) transitum facit ab Apargiis ad Scorzoneras.

Obs. II. Leontodon hirtum Linnei species pl. 1123. Villars Dauph. III. p. 82, est propria ac singularis species, cujus pili sunt constanter simplicissimi v. Lachenal act. Helv. IX. p. 274. olim a J. Bauhino, Hallero, Allionioque obiter visa, denuo ipsissimis nuperioribusque, Linneo excepto, praetervisa est, etiam Smithio, qui semper inter Linneanos claruit.

B. *Pappo piloso conformi.*

IX. *Prenanthes* Vaillant. Linné.

Calyx communis simplex cylindraceus, subpentaphyllus, subquinqueflorus, basi squamulis minimis auctus; pappus sessilis pilosus.

Etymol. Vox graeca, florem inclinatum significans.

X. *Chondrilla* Tournefort. Linné.

Calyx communis simplex cylindraceus subdecaphyllus, squamis brevibus calyculatus; receptaculum nudum; pappus stipitatus pilosus.

Etymol. Vox graeca, quoniam succus quo scatet facile coagulatur.

XI. *Lactuca* TOURNEFORT. LINN. gall. *Laitue.*

Calyx communis imbricatus, oblongus, squamis margine scariosis, receptaculum nudum, pappus stipitatus, pilosus fugax.

Etymol. A lacte, quod planta lac fundat.

Usus. A Lactucis cultis distinguendae sunt Lactucae sylvestres suspectae, narcoticae. Lactuca sativa ab antiquissimis jam temporibus culta fuit, ita ut locum ejusdem natalem vel patriam plane ignoremus; multae varietates *o*) apud olitores extant. Lactuca jam apud Romanos ad olera gratissima pertinebat, atque de hac planta multa inveniuntur loca apud poëtas Romanorum, et medicos antiquos. Frigidissimam esse et debilitatem corpori afferre HIPPOCRATES *p*) monuit; alvum inde moveri CELSUS *q*) refert, nec non DIOSCORIDES *r*); secundum GALENUM *s*) somnum conciliat, quod in se ipsum expertum esse contendit. Creditum est utilem esse Lactucam ad cohibendam ebrietatem, idcirco prisca gens ultimo in cœna illam sumere solebat, recentiores vero de appetitu magis solliciti ab ea dapes inchoant, hinc MARTIALI quaerenti *t*)

„Claudere quae cœnas Lactuca solebat avorum
„Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes"

Respondet FRID. HOFFMANN:

„Vim vini reprimens affert Lactuca soporem.
„Humiditate sua, frigiditate sua.

---

o) Confer. SPIELMANNI Olerum argentoratensium. fasc. II. Argentor. 1770.
p) De Diaeta II. N. 25.
q) II. 29.
r) De Materia medica II. 129.
s) De Temperamentis III. 4.
t) Epigr. XIII. 14.

„Ferventis stomachi Lactuca refrigerat aestum
„Et facit ut positas appetat ille dapes."

Propter vim Lactucae alvum relaxandi, canit MARTIALIS:

„Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendo
„Utilis — —

et:

„Utere Lactucis et mollibus utere Malvis *u*)
„Nam faciem durum Phoebe cacantis habes."

Juxta illud poëtae Venerem quoque extinguit.

„Semen Lactucae Veneris ludibria tollit,
„Cum vino bibitum, fluxum quoque comprimit alvi."

Denique a veteribus Lactuca illis fuit commendata, qui diuturnis morbis fere confecti, omnium ciborum fastidio laborant; quare Columella haec cecinit:

„Jamque salutari properet Lactuca sopore,
„Tristia quae relevet longi vestigia morbi."

In officinis extitere Lactucae herba condita, aqua distillata, semina olim quatuor seminibus frigidis minoribus adscripta fuere, quae omnia nuncevilu erunt.

Inter species sylvestres Lactuca Scariola et praesertim Lactuca virosa qualitate narcotica eminent, succo scatent lacteo, odore opii, summe narcotico, qui juxta HALLERUM, aeque ac papaver, bonum opium praebet; prostant in officinis: Herba Lactucae virosae et scariolae vel sylvestris. COLLIN in observationibus circa morbos acutos et chronicos, parte sexta, perperam Lactucam scariolam depingi curavit loco virosae, de qua planta bonos effectus se observasse affirmat, praesertim in hydrope non inflammatorio.

---

u) MART. Epigr. III. 88.

XII. Sonchus TOURNEFORT. LINNEI. Gall. *Laiteron.*

Calyx communis imbricatus, basi ventricosus, receptaculum nudum, semina longitudinaliter striata, pappus sessilis pilosus.

Etym. Vox graeca, ob caulem fistulosum.

Usus. Sonchus oleraceus in quibusdam materiis medicis reperitur, viribus tamen Taraxaco inferior; esculentus quoque est, denique anseribus gratissimus.

Obs. Sonchi praesertim a vicinis generibus distinguuntur, habitu crasso, succulento, glauco, lucido.

XIII. Picridium DESFONTAINES. *Crepis* VAILLANT. *Reichardia* ROTH.

Calyx imbricatus, basi inflatus, squamis margine scariosis; semina subcurva, subtetragona, transversim crenulata, pappus sessilis pilosus.

Etym. a Picride, i. e. amara.

XIV. Hieracium TOURN. LINN. Gall. *Epervière.*

Calyx communis imbricatus ex squamis lineari oblongis, receptaculum scabriusculum; pappus sessilis pilosus saepius sordide rufescens, vel fusco-griseus.

Etym. Vox graeca accipitrinam plantam designans.

Usus. Hieracium Pilosella adhuc officinale est, prostat sub titulo Auriculae muris herba; haec planta amara simul et astringens est, itaque hinc inde vulneribus imponitur, in diarrhoea, scabie, herpete adhibetur etc.

Hieracium murorum LINNEI, Pulmonaria gallica veterum, cujus fictae vires ex nomine patent, nunc jure eviluit.

Obs. I. Hieracium, genus ob magnum numerum specierum difficillimum, a MOENCHIO in plura divisum est. Hieracium scilicet, Catonia, Hieracioïdes et Schmidtia. Catonia calyce calyculato;

Hieracioïdes calyce squarroso, Schmidtia Calyce subaequali praesertim discrepant.

Obs. II. Hieracii species multae adhuc confusae et minus bene determinatae sunt; de iis quae ad Floram nostram pertinent, pauca hic annotabo; crescunt in urbis proximitate Hieracium pilosella, H. auricula, H. dubium, H. florentinum, H. praemorsum, H. cymosum, H. murorum, H. umbellatum etc.

1. Hieracio florentino affinis pulchra species haud procul Barr, in rupibus detecta, et a Clariss. VILLARS praealta salutata est.

H. praealtum: scapo folioso, foliis longe lanceolatis integerrimis glabriusculis (glaucescentibus) carina pilosis, floribus paniculato-corymbosis (numerosis). H. florentinum PERSOON Synops. II. p. 371. H. cymosum? flor. DAN. Tab. 810. H. florentinum? SPRENGEL flora Halensis Tab. X. fig. 1. H. florentinum? WILLDENOW spec. plant. P. 3. p. 1565. Nomen et synonymon ALLIONI eliminanda.

2. A nostra vero planta multum differt Hieracium piloselloïdes VILLARS Dauph. 3. 100. praesertim floribus spicato-proliferis. Certa Synonyma hujus plantae sunt: Hieracium maritimum umbellatum angustifolium pilosellae facie. MICHELI hort. Pis. 81. Hort. florent. p. 49. ZANNICHELL. Venet. Tab. 12. p. 142. HALLER histor. No. 54.

3. Hieracium cymosum WILLDENOW. prope Marlenheim inveni, et quidem aliqua specimina radice stolonifera, quae tamen propter habitum, folia, florum numerum etc. nec ad Hieracium dubium, nec ad Hieracium auricula referre possum. Hieracium collinum mihi, cum nomen triviale (H. cymosum) sequenti specie conservari debeat.

H. radice interdum stolonifera, scapo folioso hispido, foliis oblongo lanceolatis integerrimis hirtis, calycibus pedunculisque hispido-pilosis, floribus corymbosis. H. murorum angustifolium non sinuatum BAUH. prod. 67. H. cymosum SPRENGELII (flora Halensis Tab. X. fig. 2. quoad caulem foliaque nostrae plantae sat bene respondet, flores tamen in meis speciminibus numerosiores (12 ad 20).

4. Hieracium cymosum LINNEI, planta est rarissima a recentioribus neglecta, multis incognita et falso citata. H. foliis lanceolatis pilosis integris, caule subnudo, pedunculis glomerato-cymosis subramosis. VILLARS Dauph. III. p. 101. HALLER Enum. 743. No. 5. Hist. No. 51. Col. Ecphr. I. 249. figur. LINNEI species plant: 1126.

Planta alpina, pratorum herbosorum incola. Radix subtruncata nec stolonifera, caulis hispidus, ad basin folia 1 vel 2, lanceolata linearia, folia radicalia caespitosa, lanceolata hispida subscariosa more Hieracii aurantiaci L., rudiora et angustiora, potius hispida quam pilosa; flores glomerato-cymosi, parvi, aliquando subpurpurei, calyx nigro hispidus, pedunculi ramosi et simplices sed breves approximati. Semina oblongo-truncata striata, fusca: pappo albo sessili simplici coronata; receptaculum scrobiculatum. Planta in herbariis HALLERI, PATRIN et aliorum a clariss. VILLARS visa, qui haec ex herbario suo mutuari benigne permisit. Confer: VILLARS Catalogue méthodique du Jardin de Strasbourg p. 187.

XV. *Andryala* LINN. *Eriophorus* VAILLANT.

Calyx communis polyphyllus aequalis, receptaculum pilosum, pappus sessilis pilosus.

Etym. dubia.

XVI. *Crepis* LINN. *Hieracioïdes* VAILLANT.

Calyx communis calyculatus, per maturitatem subtorosus, receptaculum subnudum, pappus pilosus sessilis (niveus).

Etym. — —

Obs. I. Crepis Nemausensis, ob receptaculum pilosum discrepat, an Andryala? forte melius cum Crepidibus servanda; pappus in meis speciminibus conformis nec semina marginalia nuda.

Obs. II. In Crepidum synonymia magna confusio, quamvis ad plantas pertinent sat vulgares. De nostris speciebus aliquas observationes subjungere licebit.

1. Crepis Dioscoridis SCHKUHR et DECANDOLLE x) LINNEANA planta non est, et a Cl. SCHRADERO Cr. heterosperma nominata est; planta DECANDOLLEI vix prope Basileam crescit, Lachenaliana saltem Crepis Dioscoridis longe diversa est. Colitur nunc in horto medico Argentinensi Crepidis species, seminibus gracilibus insignis, verosimiliter est Crepis dioscoridis LACHENAL, cujus descriptioni y) exacte respondet, demtis tamen calycibus, in nostra planta glabrioribus, an a sola cultura?

Crepis Dioscoridis LINNEI et LACHENAL. Crepis foliis sinuato pinnatifidis, superioribus sagittato linearibus integris, subtus pallidis, seminibus oblongo attenuatis asperis.

2. In excursionibus botanicis quae in tironum gratiam quotannis a professore botanices instituuntur, Cl. VILLARS singularem Crepidis speciem detexit, ab omnibus recentioribus neglectam. Procul dubio est Crepis calycibus muricatis HALLER Helv. No. 32. a Cel. LACHENAL prope Basileam inventa, qui de hac planta mentionem facit in litteris ad HALLERUM Vol. V. p. 281 et p. 326. nec non in actis Helveticis Vol. VIII. p. 134 * et in novis actis Helveticis Vol. I. p. 281.

Crepis Lachenalii: Caule erecto gracili paucifloro, foliis radicalibus spatulato-lanceolatis dentatis, superioribus linearibus, pedunculis elongatis, seminibus asperis. Crepis neglecta? LINN. Spec. plant. edit. REICHARD Vol. III. p. 655.

Radix fibrosa ramosa; folia radicalia glabriuscula spatulato-lanceolata, dentata; caulis erectus gracilis glabriusculus, spithameus, dodrantalis, dividitur in tres quatuorve ramos, seu pedunculos, unifloros. Folia caulina inferiora lanceolata linearia remote dentata, dentibus productis; superiora linearia, pedunculi subaphylli apice incani,

---

x) DECANDOLLI Icones plantarum Galliae. Tab. 18.

y) Acta nova Helvetica Vol. I. p. 285.

calyces subfarinosi, costis nigro hispidis, squamulis calycinis externis minimis, setaceis, laxis. Flos parvus, pallide flavus, (nunquam subtus rubellus) semina, praesertim apice, aspera, pappo coronata capillari, niveo, substipitato.

Habitat haud procul a Bruscae ripis, prope Argentoratum, in lapidosis aridis, cum Lactuca scariola, Bromo arvensi etc. notandum est, hora circiter decima matutina, cum hanc plantam legerim, flores clausos fuisse, in Crepide tectorum tunc expansos. Floret Junio.

XVII. *Barkhausia* MOENCH. DECANDOLLE.

Calyx communis calyculatus, maturus sulcato-costatus, foliolis exterioribus laxis, pappus pilosus stipitatus.

Genus a Clar. MOENCHIO in memoriam D. BARKHAUSII auctoris florae Lipsiensis nominatum.

Obs. I. a Barkhausio Moenchius adhuc Hostiam separavit, ob receptaculum pilosum pappumque difformem; est Crepis foetida LINNEI, ab aliis quoque WIBELIA nominata.

Obs. II. Barkhausia taraxacifolia DECANDOLLE, Crepis tectorum VILLARS, jam a LACHENALIO in actis novis helveticis descripta et a planta LINNEANA separata, tamen auctoribus germanicis ignota vel neglecta planta, licet in collibus siccis, ruderatis minime rara sit; sic non intelligo cur clar. PERSOON Crepidem tectorum VILLARS a taraxacifolia vel a praecoce sua, revocaverit et post Crepidem tectorum LINNEI, ut varietatem inseruerit.

XVIII. *Taraxacum* JUSSIEU. *Pissenlit* gall.

Calyx communis duplex, receptaculum glabrum, pappus stipitatus pilosus (Scapi uniflori).

Etym. incerta.

Usus, culinaris, folia vere comeduntur. Pharmac. radix et herba recentes, extractum.

Olim inter optima resolventia et aperientia remedia numeratum est extractum Taraxaci. Celeb. ZIMMERMANN, cum illo Fridericum magnum Borussiae regem sanare voluit, dicens, se succum inspissatum Taraxaci, jam per triginta annos et omni vere, contra morbos ab obstructione Viscerum z), forte ultra pondus centenarium, praescribere. Omnino canalem intestinalem leniter stimulat et Hypochondriacis, Ictericis pro indicatione conducere potest. Etiam in nonnullis regionibus ut olus acetarius adhibetur.

XIX. *Troximum* GÆRTNER.

Calyx communis oblongus, conicus, simplex aut imbricatus, squamis inaequalibus. Receptaculum nudum, pappus sessilis pilosus.

Genus plantarum exoticarum, ab autoptis curatius examinandum.

XX. *Zacintha* TOURNEFORT. GÆRTNER.

Calyx communis simplex octophyllus basi squamulis minimis auctus, per maturitatem coriaceus torosus depressus, receptaculum nudum, pappus pilosus sessilis, brevissimus.

Etym. ab Insula Zacynthos dicta, quod frequens ibi crescat. Ab antiquis Cichorium Verrucarium appellatum, cum verrucas sanare creditum est (ob formam fructus).

XXI. *Seriola* LINNEI. *Achyrophorus* VAILLANT.

Calyx communis simplex, receptaculum paleaceum, pappus stipitatus, pilis subdenis, basi membranaceis apice subplumosis.

Etym. Diminutivum a Seris. (Cichorium parvum antiq.)

C. *Pappo paleaceo conformi.*

XXII. *Krigia* WILLDENOW. SCHREBER.

Calyx communis simplex polyphyllus; receptaculum nudum, pappus membranaceus ex squamis obtusis quinque cum totidem setis intermixtis alternantibus.

Etym. ignota, an a Botanici nomine?

---

z) Ueber Friedrich den Grossen und meine Unterredungen mit ihm kurz vor seinem Tode; von dem Ritter v. Zimmermann. Leipzig 1788. p. 57.

XXIII. *Catanance* Tourneport. Linnei.

Calyx communis imbricatus, squamis laxis scariosis subpellucidis; receptaculum paleaceum, pappus pentaphyllus foliolis aristatis.

Etym. vox graeca, sed explicatio difficilis.

XXIV. *Cichorium* Tournef. Linn. *Chicorée* gall.

Calyx communis duplex; receptaculum subnudum, pappus paleaceus semine brevior.

Etym. ignota.

Usus. Culinaris, folia Cichorii sativi et Intybi comeduntur, radix Intybi nunc Coffeae triviale Succedaneum.

In officinis recepta fuere praeter radicem Intybi, adhuc semina (Scariolae semina) herba, conditum, syrupus, aqua, flores, conserva, quae omnia nunc jure eviluerunt, excepto syrupo cichorii cum Rheo, qui tenellis ad alvum leniter movendam subinde exhibetur. Radice amara, facile lignescente in medicina carere possumus. Succum herbae aeque ac succum Taraxaci ad Icterum laudant Haller, van Swieten et alii. Jam Alex. Trallianus Intybum ad morbos hepatis curandos commendavit.

D. *Pappo difformi.*

XXV. *Geropogon* Linnei.

Calyx communis simplex pyramidatus, receptaculum paleaceum, pappus stipitatus, disci plumosus, radii subulatus.

Etym. vox graeca barbam senilem significans.

XXVI. *Hypochaeris* Vaillant. Linnei. Gærtner.

Calyx communis imbricatus, receptaculum paleaceum, semina difformia, pappus plumosus, disci stipitatus, radii sessilis.

Etym. Vox graeca plantam suibus gratam significans, quare et a veteribus Porcellia vocata est.

XXVII. *Rothia* Schreber. *Voigtia* Roth.

Calyx communis simplici serie polyhpyllus, receptaculum in ambitu paleaceum, in medio villosum, semina marginalia calva, centralia papposa, pappo piloso.

XXVIII. *Thrincia* Roth. Catalecta botanica fasc. I. p. 98.

Calyx communis aequalis, receptaculum subnudum, semina disci pappo plumoso stipitato, marginalia calyculo brevi paleaceo multidentato oblique coronata.

Etym. Vox graeca a coronula pappi.

XXIX. *Tolpis* Adanson fam. des plantes 2. p. 112. *Drepania* Jussieu. *Swertia* Ludwig. Allioni.

Calyx communis duplex, basi circumvallatus squamis setaceis per maturitatem falcato-incurvis; receptaculum subnudum; pappus disci marginatus membranaceus, cum setis duobus vel quatuor, radii brevissimus squamulosus.

Etym. Drepania a squamis calycis falcatis.

XXX. *Hyoseris* Linnei. *Taraxaconastrum* Vaillant.

Calyx communis calyculatus, receptaculum nudum, pappus difformis, radii paleaceus, disci pilosus.

Etym. Vox graeca, Lactucam suillam significans.

XXXI. *Hedypnoïs* Tournef. Jussieu. *Rhagadioloïdes* Vaillant.

Calyx communis calyculatus, receptaculum nudum, pappus disci difformis, exterior obsoletus multisetus, interior paleaceus pentaphyllus, semina marginalia membranaceo denticulata, calycinis foliolis inclusa.

Hedypnoïs significat halitum gratum.

Obs. Hedypnoïs Gærtneri, longe aliud genus est, ex Hyoseride radiata Linnei constitutum; in hoc genere pappus quidem conformis, semina vero trimorpha sunt; a recentissimis tamen auctoribus hocce genus non receptum est.

E. Pappo nullo.

XXXII. *Scolymus* Tournef. Linn.

Calyx communis imbricatus, spinosus, receptaculum paleaceum, semina calva.

Etym. a voce graeca spinam designante.

Usus. Scolymus comeditur vulgo (ab Italis) prima aestate antequam capitula efferat, flore ab impostoribus crocum adulteratur. Pontedera dissertatio quinta p. 107.

XXXIII. *Lapsana* Linn. *Lampsana* Tournef.

Calyx communis calyculatus, receptaculum nudum, semina libera, calva.

Etym. forte ab urbe Lampsacum.

Usus. Lapsana comeditur in Insulis graecis. Gallicum nomen, (herbe à mammelles) obtinuit Lampsana, quod creditum est, illam papillis exulceratis impositam medelam afferre.

XXXIV. *Rhagadiolus* Tournef. Gærtn.

Calyx communis calyculatus, receptaculum angustissimum nudum, semina calva subdifformia, calycis foliolis involuta.

Etym. a voce Italica Ragaggiolo (Fissura) propter foliolorum calycinorum formam.

XXXV. *Arnoseris* Gærtner.

Calyx communis simplex, polyphyllus demum torosus, globose connivens; semina margine coriaceo erecto integerrimo coronata.

Etym. Vox graeca idem quod Lactuca agnina.

XXXVI. *Soldevilla* Persoon Synops. II. p. 348. *Hispidella* Lamark?

Calyx communis imbricatus, receptaculum paleaceum, paleis brevissimis in lacinias setosas abeuntibus, semina calva.

Etym. Nomen Botanici, vel fautoris?



Bein Sculp.t



Crepis Dioscoridis

Ben Sculp.



Crepis Lachenalii

Bein Sculp.